Mundus nec fuit, nec potuit eſſe ab Æterno.

ÆTherios Orbes tremuláſque vibrantia flammas
Sydera miramur varios cœlique meatus ;
Unde fugat tenebras rutilis Sol ignibus, unde
Diſſiliunt longo flagrantia fulgura tractu,
Unde volant flammæ nigra per ſpiracula Terræ,
Aut pelagus fremit, ardenti ſe verbere cædit,
Colliduntur fluctus, atque unda recolligit undam ;
Mens incerta hæret, juvat & cognoſcere cauſas.
Effinxêre alii, quòd plantæ, animalia, terræ
Ramoſi frutices, & cæcâ nocte vagantes
Stellæ profluxêre ſimul, gremióque capaci
Exiit æternus divini Numinis orbis:
Haud ſecùs ac radii vibrati Luminis altum
Æthera colluſtrant, cùm emergit ab æquore Phœbus.
At fruſtra jactant levia hæc inſomnia rerum ;
Quicquid enim æternum eſt hoc nullo clauditur orbe,
Induit hoc unam magno cum Numine formam,
Hoc Deus eſt, pluréſque Deos natura recuſat,
Nam multi pereunt per mutua vulnera Divi ;
Non aliter (ſi parva licet componere magnis)
Quàm validi fluctus rapidis volvuntur in undis,
Partibus adverſis ſtrident & ſydera pulſant,
Congreſſi pereunt per longa volumina fuſi.
Quod ſemper fuit, id nulla quaſſabitur arte,
Nec poſſunt flammæ, nec edax abolere vetuſtas ;
Noſcimus at Mundum fatalem horrere ruinam,
Spumoſos fluctus, undantémque ignibus Ætnam,
Noſcimus horrendos ſolis lunæque labores,
Ut pellunt cœcam redeuntia Lumina noctem,
Dejiciunt rapido ſegetes & turbine nimbi,
Diverſas patitúrque vices hæc Machina mundi.
Fœlix hoc ævum eſt, varias cui contigit Artes
Eruere è tenebris, populiſque ignota paternis
Tradere, namque iſtos ſomnus vel devius error
Corripuit, (dixiſſe pudet Deliria vana)
Stultitia æternóque potens regnavit in Orbe:
Infauſti Patres! quos alta ſilentia condunt,
Quos celant Monumenta nigrâ caligine merſos,
Quos nullum celebrat, néve ullum protulit ævum.
Effinxêre alii, ut vaſtum per inane volantes
Collisêre atomis atomi, ſubſultibus iſtis
Fabrica ſurrexit, magnus concrevit & Orbis ;
Sic imbres coeunt, lentam glomerantur in undam.
At fruſtra ludunt vanâ ſub imagine Veri.
Nam ſatis immenſi effulget ſapientia Patris,
Omnia diſponens certâ ratione modóque :
Murmure ſi tremulo cava fiſtula verberet aures,
Qualis mulſit aquas, faucéſque recluſit Averni,
Verba ligata modis veniant ſi digna *Marone*,
Argutum miramur opus, doctúmque magiſtrum ;
Ingenium artificis monſtrant ex ære columnæ
Cælatæ,& Pario conflata è marmore tecta ;
Seſe etiam prodit primæ ſapientia Cauſæ,
Quæ deforme Chaos noctémque excuſſit opacam,
Effecit ſolem, concluſit cornua Lunæ,
Pondera terrarum vaſtúmque rotavit in Orbem.
E nihilo effinxit Divina potentia mundum ;
Hoc ſuadet Ratio, ſuadent Monimenta vetuſta.

Dantur Subſtantiæ Immateriales.

LEthalis belli Græcis deferbuit æſtus,
Numinibúſque ſuis ſolennia vota tulerunt ;
Protinus exſurgit (ſive hæc fuit ira Deorum,
Seu fatale nefas indignans Tartarus atris
Faucibus evomuit) monſtrum, quod fulmina torta
Nec terrent ruptis vibrati nubibus ignes,
Ejuránſque Deos ſpumantia protulit ora.
Narrat, uti magnum per inane vagantia rerum
Semina ſeminibus concurrunt ; agmine longo
Saltantes Atomi noſtrum ſinuantur in orbem.
Naſcitur hinc Terra & rutilantia lumina cœli?
Hinc agitant objecta animos iterúmque recedunt?
In fumos abeunt Epicuri hæc dogmata vana ;
Rectiùs arte novâ tradit Doctiſſima turba.
Cùm turgent calido ſalientes flumine venæ,
Mox tenuis Vapor in nervos cæcóſque meatus
Evolat, objectum latebroſo tramite defert
Ad mentem, quæ rem volvit ſecúmque revolvit,
Aut vult aut non vult, negat aſſentitque negato.
Sæviat at fruſtrà, rumpantur ut ilia, Monſtrum,
Non eadem efficiunt errantia ſemina rerum,
Aut immota manent, aut recto tramite tendunt ;
Námque vetat ratio in ſinuoſa volumina flecti.
Vel quidni hæc eadem præſtat, cùm proſilit antris
Eurus ab Æoliis, ſtridens diverberat undas,
Huc illuc rapitur, vario ſe murmure verſat?
Vel quidni jactare poteſt hæc Mulciber ardens,
Cùm tremulas flammas obliquo tramite volvit?
Quidni Cauſa eadem effectus emittit eoſdem?
Sic etiam Torrens rapidis agitatur in undis,
Præcipitique ruit curſu, dum ſaxea moles
Impedit, & flexu ſinuoſo elabitur amnis ;
At non ſponte ſuâ, ſed cœco volvitur æſtu.
Obducit menti tenebras terrena Voluptas,
Quæ labefacta timet, ſurdo ſe verbere cædit.
At ſi fortè Deos magno ſub pectore verſet,
Naturámque ſuam ; exſultans ad ſydera fertur :
Hinc patet ex Atomis mentem non poſſe creari ;
Spiſsâ hæc mole caret Divino ſemine nata.
Protea ſed referant licèt hæc primordia Mundi,
Omnia transforment ſeſe in miracula rerum,
Et varios induta modos, induta figuras
Diverſas volitent ; fruſtra hæc deliria fingunt.
Teſtatur ratio & præſaga Oracula Patrum,
Pallentéſque Umbræ, ſimulachráque luce carentum,
Emiſiſſe Deum celeres ſine corpore mentes.
Hinc aliæ Cœlis longo, quaſi fulgura, tractu
Delapſæ properant mandata faceſſere Divûm,
Vel lætum *Pæana* canunt ; hinc *Pythica* Vates
Sæviit atque imo furibunda remugiit antro.
Eſt ſpecus obſcurum in Terræ penetralibus imis,
Squallentes Furiæ nigris in faucibus adſtant,
Lethales aperit rimas horrenda Vorago,
Cingunt Tartareæ flammiſque rapacibus undæ ;
Hîc mœſti Manes, triſtis cruciatus & horror,
Hîc iſti Mentes volvuntur gurgite cœco
Æthere dejecit quas ignea Numinis ira ;
Hæc Ratio docet & longa Experientia rerum,
Hinc patet eſſe leves ullo ſine corpore mentes.

Jul. 5. 1697. in veſper. Comit. Reſp. in Philoſoph. Johan. Rayne, *A. M. Coll. Joh. Soc.*

Mundus nec fuit, nec potuit eſſe ab Æterno.

ÆTherios Orbes tremuláſque vibrantia flammas
Sydera miramur varios cœlique meatus;
Unde fugat tenebras rutilis Sol ignibus, unde
Diſſiliunt longo flagrantia fulgura tractu,
Unde volant flammæ nigra per ſpiracula Terræ,
Aut pelagus fremit, ardenti ſe verbere cædit,
Colligunt fluctus, atque unda recolligit undam;
Mens incerta hæret, juvat & cognoſcere cauſas.
Effinxêre alii, quòd plantæ, animalia, terræ
Ramoſi frutices, & cæcâ nocte vagantes
Stellæ profluxêre ſimul, gremioque capaci
Exiit æternus divini Numinis orbis:
Haud ſecùs ac radii vibrati Luminis altum
Æthera colluſtrant, cùm emergit ab æquore Phœbus.
At fruſtra jactant levia hæc inſomnia rerum;
Quicquid enim æternum eſt hoc nullo clauditur orbe,
Induit hoc unam magno cum Numine formam,
Hoc Deus eſt, pluréſque Deos natura recuſat,
Nam multi pereunt per mutua vulnera Divi;
Non aliter (ſi parva licet componere magnis)
Quàm validi fluctus rapidis volvuntur in undis,
Partibus adverſis ſtrident & ſydera pulſant,
Congreſſi pereunt per longa volumina fuſi.
Quod ſemper fuit, id nulla quaſſabitur arte,
Nec poſſunt flammæ, nec edax abolere vetuſtas;
Noſcimus at Mundum fatalem horrere ruinam,
Spumoſos fluctus, undantémque ignibus Ætnam,
Noſcimus horrendos ſolis lunæque labores,
Ut pellunt cœcam redeuntia Lumina noctem,
Dejiciunt rapido ſegetes & turbine nimbi,
Diverſas patitúrque vices hæc Machina mundi.
Fœlix hoc ævum eſt, varias cui contigit Artes
Eruere è tenebris, populiſque ignota paternis
Tradere, namque iſtos ſomnus vel devius error
Corripuit, (dixiſſe pudet Deliria vana)
Stultitia æternóque potens regnavit in Orbe:
Infauſti Patres! quos alta ſilentia condunt,
Quos celant Monumenta nigrâ caligine merſos,
Quos nullum celebrat, néve ullum protulit ævum.
Effinxêre alii, ut vaſtum per inane volantes
Colliſêre atomis atomi, ſubſultibus iſtis
Fabrica ſurrexit, magnus concrevit & Orbis;
Sic imbres coeunt, lentam glomerantur in undam.
At fruſtra ludunt vanâ ſub imagine Veri,
Nam ſatis immenſi effulget ſapientia Patris,
Omnia diſponens certâ ratione modóque:
Murmure ſi tremulo cava fiſtula verberet aures,
Qualis mulſit aquas, faucéſque recluſit Averni,
Verba ligata modis veniant ſi digna *Marone*,
Argutum miramur opus, doctúmque magiſtrum;
Ingenium artificis monſtrant ex ære columnæ
Cælatæ, & Pario conflata è marmore tecta;
Seſe etiam prodit primæ ſapientia Cauſæ,
Quæ deforme Chaos noctémque excuſſit opacam,
Effecit ſolem, concluſit cornua Lunæ,
Pondera terrarum vaſtúmque rotavit in Orbem.
E nihilo effinxit Divina potentia mundum;
Hoc ſuadet Ratio, ſuadent Monimenta vetuſta.

Dantur Subſtantiæ Immateriales.

LEthalis belli Græcis deferbuit æſtus,
Numinibúſque ſuis ſolennia vota tulerunt;
Protinus exſurgit (ſive hæc fuit ira Deorum,
Seu fatale nefas indignans Tartarus atris
Faucibus evomuit) monſtrum, quod fulmina torta
Nec terrent ruptis vibrati nubibus ignes,
Ejuránſque Deos ſpumantia protulit ora,
Narrat, uti magnum per inane vagantia rerum
Semina ſeminibus concurrunt; agmine longo
Saltantes Atomi noſtrum ſinuantur in orbem.
Naſcitur hinc Terra & rutilantia lumina cœli?
Hinc agitant objecta animos iterúmque recedunt?
In fumos abeunt Epicuri hæc dogmata vana;
Rectiùs arte novâ tradit Doctiſſima turba.
Cùm turgent calido ſalientes flumine venæ,
Mox tenuis Vapor in nervos cæcóſque meatus
Evolat, objectum latebroſo tramite defert
Ad mentem, quæ rem volvit ſecúmque revolvit,
Aut vult aut non vult, negat aſſentítque negato.
Sæviat at fruſtrà, rumpantur ut ilia, Monſtrum,
Non eadem efficiunt errantia ſemina rerum,
Aut immota manent, aut recto tramite tendunt;
Námque vetat ratio in ſinuoſa volumina flecti.
Vel quidni hæc eadem præſtat, cùm proſilit antris
Eurus ab Æoliis, ſtridens diverberat undas,
Huc illuc rapitur, vario ſe murmure verſat?
Vel quidni jactare poteſt hæc Mulciber ardens,
Cùm tremulas flammas obliquo tramite volvit?
Quidni Cauſa eadem effectus emittit eoſdem?
Sic etiam Torrens rapidis agitatur in undis,
Præcipitique ruit curſu, dum ſaxea moles
Impedit, & flexu ſinuoſo elabitur amnis;
At non ſponte ſuâ, ſed cœco volvitur æſtu.
Obducit menti tenebras terrena Voluptas,
Quæ labefacta timet, ſurdo ſe verbere cædit.
At ſi fortè Deos magno ſub pectore verſet,
Naturámque ſuam; exſultans ad ſydera fertur:
Hinc patet ex Atomis mentem non poſſe creari;
Spiſſâ hæc mole caret Divino ſemine nata.
Protea ſed referant licèt hæc primordia Mundi,
Omnia transforment ſeſe in miracula rerum,
Et varios induta modos, induta figuras
Diverſas volitent; fruſtra hæc deliria fingunt.
Teſtatur ratio & præſaga Oracula Patrum,
Pallentéſque Umbræ, ſimulachráque luce carentum,
Emiſiſſe Deum celeres ſine corpore mentes.
Hinc aliæ Cœlis longo, quaſi fulgura, tractu
Delapſæ properant mandata faceſſere Divûm,
Vel lætum *Pæana* canunt; hinc *Pythica* Vates
Sæviit atque imo furibunda remugiit antro.
Eſt ſpecus obſcurum in Terræ penetralibus imis,
Squallentes Furiæ nigris in faucibus adſtant,
Lethales aperit rimas horrenda Vorago,
Cingunt Tartareæ flammiſque rapacibus undæ;
Hîc mœſti Manes, triſtis cruciatus & horror,
Hîc iſti Mentes volvuntur gurgite cœco
Æthere dejecit quas ignea Numinis ira;
Hæc Ratio docet & longa Experientia rerum,
Hinc patet eſſe leves ullo ſine corpore mentes.

Jul. 5. 1697. in veſper. Comit. Reſp. in Philoſoph. Johan. Rayne, *A. M. Coll. Joh. Soc.*

Poſita Dubitatione Carteſiana *certa Veritatis norma habèri non poteſt.*

Carteſii litem, Cyniciqúe, Camæna, *Menippi*
Dic age, dic & quàm validis rationibus uſus,
Elyſii in campis pugnârit uterque ſub Orco:
Conſedit *Minos* Moderator, Philoſophorum
Omnis Grex aderat, præſertim Sceptica turba,
Sceptica lis agitur, Dubitatio *Carteſiana*:
Hanc veri Normam pugnax contendit haberi
Carteſius, multo molimine. Pernegat ille,
Et gravibus contrà ſic incipit Argumentis;
Vir Bone, ſi Veri ſola eſt hæc Regula, Clara
Et diſtincta, ut ais, Perceptio, concute pectus
In te deſcendens, animi & rimare receſſus,
Num potes aſſenſum ſuſpendere? num potes ultrà
Eſſe animi incertus, dubiúſque hærere, ſit an non,
Clarè ac diſtinctè cum rem perceperis eſſe?
Hos ſtimulos Natura parens ſub pectore verſat,
Extorquens intùs nutum, ſubigénſque fateri
Invitum, & fruſtrà conantem dicere contrà.
Hæc inter ſeſe nunquam coitura repugnant.
Quî ſcis eſſe Deum? diſtinctè, ſubjicit ille,
Percipio claréque. Quid ergo? Cum mihi bina
Addubitare jubes an binis juncta quaternum
Efficiant numerum, cur te ſic percipientem
Non dubitare finis? Diſtinctè ſubjicit ille
Percipio claréque Deum non fallere poſſe.
Tum verò ingentes *Cynicus* dedit ore cachinnos,
Atque inſtat; Bone Vir, nequeant ſi fallere ſenſus
Et Ratio, quoniam Deus eſt veráxque, bonúſque,
Quî tandem Veri ad Normam Dubitatio ducit?
Arguis in Circo, nec pergis in Argumento.
Hæret *Carteſius*, nec vox nec verba ſequuntur.
Aſſurgit *Minos* litem ut componat, & inquit,
Naturæ Verique Autor non ſordide, labi
Humanum eſt, neque te pudeat peccâſſe fateri:
Limitibus nimis anguſtis includere tentas
Auræ particulam Divinæ, & conſcia Cœli
Pectora, quodque jubes deprendere, non ſinis ipſe:
Sic indagantes latet, æternúmque latebit
Quæſitum fruſtrà Verum, & conamina ludet
Irrita non deprenſus, inextricabilis Error.

Libertas Arbitrii ſoli Subſtantiæ Immateriali competit.

EJA age, materies cui mens humana videtur,
Conſule te, penitúſque animi rimare receſſûs,
Nonnè ibi libertas occurrit? nonnè poteſtas
Velle datur? non te ducit per cuncta voluntas?
Nonnè ibi repperias imo ſub pectore fixum,
Quod benè percipiat, quod res ſecernere poſſit,
Quæ en[illegible]ique moram facere, aut abrumpere, ſolo
Ex animi arbitrio, ruptámque reducere porrò?
Nonnè ibi conſilium poſſis deprendere, quod te,
Quæ quibus anteferas, quæ ſint meliora, docebit?
Nonnè vides te poſſe uti Ratione magiſtrâ,
Si placet, amotis vel adhuc errare tenebris?
Hæccine materiæ ſunt propria munera? ſunt hæ
Virtutes, quas pondus iners ſibi vendicet? an quas
Purior & melior Divinæ particula auræ?
Undè eſt quòd moles ſeſe determinet ipſa,
Segnis iners moles, quæ non niſi pulſa movetur?
Ullanè corporibus perceptio? ſi datur ulla,
Undè ea fit? facere hoc Impulſio ſi mera poſſit,
Credere tum fas eſt, quando undâ impellitur unda,
Se fluctu obtrudi fluctum ſentire priorem.
Ex nihilo ſi quid fiat, tum fortè putes, quòd
Principiis ſit menti externis orta poteſtas,
Materiéſque tibi donet, quod non habet ipſa.
Volve Globum, celeri tranſcurrit tramite campum;
Projicias lapidem, vi multâ diſſecat æthram;
Sed ſi clamando tibi rumpas ilia tota,
Siſte lapis, jam ſiſte, precor; nil proficis; ille
Surdus abit, curſúſque tenax celer uſque movebit,
Si nihil obſtiterit, quod vim dirumpere poſſit.
Undè igitur? quæ libertas? vis extima pellit,
Nec quicquam contrà pugnare, obſtaréque poſſit.
Mens tamen intereà ſine pondere, libera Cœlos
Tentat, & æthereas meditando permeat auras,
Arctis materiæ vinc'lis, & lege ſoluta,
Ipſa ſibi pennas addit, nec motibus ullis
Erigitur, fictis nec fertur in ardua plagis,
Nec caret incerto clinamine principiorum.

Jul. 6. 1697. ***In die Comit. Reſp. in Philoſoph.*** **Fr. Hare** ***A. M. Coll. Regal.*** **Soc.**